UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm || Vitae aulicae

Schopper, Hartmann

Francof. Ad Moen., 1584

VD16 R 1015

Capvt XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70432

Visual Library

CAPVT XXXV.

ARGVMENTVM.

Bellinus ante fores occluſas, temporis vltra
Pollicitas Lampum dicit abeſſe moras.
Huic ita ſe dictis Vulpecula purgat iniquis,
Humanos ſuprà mirer vt iſta dolos.

INarcis atro limine
Stans operitur Bellinus,
Et nominat lepuſculum,
Moræ quouſq; deſidis
Hic damna, clamat, perferam?
Si certa ſtat ſententia
Totum manendi per diem
Domum reuertar ad meam.
Id audiens Vulpecula:
Relinquit arcem protinus.
Tibique, dicit, Belline
Renunciat lepuſculus:

Bellinus morã Lampi increpat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vulpes cunctationem Lampi excuſat.

Si forſitan moleſtior
Hæc fiat expectatio,
In pace pergas quò lubet.
Exultat ille cum meis
Lætatur atq; liberis,
Et noſtra ſumptuoſius
Nunc vxor huic conuiuium
Parauit, ire non poteſt.
Sed clamor inquit Bellinus.
Quid denotabat flebilis
Ad vſq; ſparſus ſidera,
Quòd inuocaret lachrymans
Opem meam lepuſculus?
Reſpondet audax Reinike
Caſus renarro dum meos,

Callidè remouet à ſe ſuſpicionẽ Reinike.

Et coniugi denuncio,
Quòd arua per Neptunia
Mox nauigare cogitem,
Incepit heu procumbere
Proſtrata fuſis crinibus,
Et morte ſenſus ponere
Optauit omnes efferа:
Amens dolore maximo
Cùm vidit hoc lepuſculus,

Bellinus veretur, ne quid clamor Lampi adportet mali.

De crotone vide Chiliad. Eraſ.

Dilecte, clamat, Belline
Opem fer atq; ſubueni:
Ne Parca trux & impia
Meam ſororem deleat.
Quæ dicis, inquit Bellinus
Credam libenter omnia:
Sed pertimeſcens auguror,
Quòd clamor iſte maximus

Secum

Secum mali quod adferet.
Affirmo, dicit Reinike:
Crotone quod ſalubrior
Et piſce ſit lepuſculus,
Illius atq; gratia
Non ipſemet periculum
Quoduis recuſem perpeti.

COMMENTARIA.

Quæ perfidia infidelitasque inter noſtros hodie regnet & dominetur paſsim Cyclopas facilè iambi ſubſequentes noſtri apertius oſtendunt.

Quod omne crimen horridum
In orbe regnet ultimo,
Liuoris inſaniſsimi
Effecit infidelitas,
Nam lumen alter alteri
Sic inuidet ſpirabile,
Vt proximum felicibus
Frui vetet ſucceſsibus:
Fortuna ſi quem proſperis
Beet benigna vultibus,
Illius ante ianuam
Mox ater oſor excubat,
Omnesq; fraudes applicat
Blanditur horis omnibus,
Rudem quouſq; decipit,
Bonumq; ſortis abſtrahit.
Verbisq; blandientibus
Explorat, hinc & hinc rogat,
Secreta donec omnia

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni. Maius tormentum.

Rimetur atq; pectoris
Commiſſa norit intimi.
Hinc vndecunq; cognitum
Calumniator, deuouet,
Et ore mordet improbo
Lethalis vtq; Scorpio
Ictu latenti vulnerat
Plenamq; peſtilentiæ
Non ante linguam ſupprimit,
Quousq; coram ſingulis
Effecit execrabilem.
Hic fructus infidelium
Nunc quæſtus eſt vberrimus.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTVM.

Inſutum ſacco caput heu miſerabile Lampi,
Fert ſimplex Regis Bellinus ante pedes.
Dumq; putat ſe ferre datas à Vulpe tabellas
Fert ſibi pernitiem neſcius ipſe ſuam.

CVm *Bellino Vulpecula*
Aſtuta pergit colloqui,
Scis nocte dicit altera,
Quod ipſe regi literas
Promiſerim tranſmittere,
Quas oro tecum deferas:
Nam Regis ex negotio
Hoc conſequere gratiam.
Amice, dicit Bellinus,
Id quicquid eſt negotij
Peregerim lubentius,
Crumena nobis ſi foret

Reinike committit Bellino E-piſtolium, regi offe-rendum.

Cui